



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XXXIV. De Voto, & Voti Redemptione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

casus est unicus, quo Matrimonium semel validum & consummatum dissolvi quoad vinculum potest.

Dico 2. Matrimonium infidelis ad Fidem conversi, quod contrahit cum uxore fideli, cujus maritum consentiente uxore occidit, licet adhuc infidelis, eum in finem, ut eam duceret in uxorem, est nullum; adeoque hoc impedimentum Criminis etiam afficit Infideles, licet aliis impedimentis Matrimonii Jure Ecclesiastico introductis non ligentur Infideles. 2. Si unus Infidelium convertatur, & altera pars in Infidelitate persistat, proles eorum, quæ nondum sunt rationis ita capaces, ut possint ipsæmet Religionem eligere, tolli ab Infideli, & educari à converso debent, sive iste sit pater sive mater. Pars prior habetur c. 1. & posterior c. 2. h. t. Nec obstat, quod secundum Leges Civiles liberi sunt in potestate patris, non matris, & illi, non huic, cura educandi liberos & alendi incumbat. *f. fin. Inst. de patr. pot. l. 9. C. eod.* ergo, si mater convertatur ad Fidem, proles relinquendæ sunt patri persistenti in Infidelitate; negatur enim *consequentia*. Siquidem favor Religionis & bonum spirituale liberorum prævalet dispositioni Juris Civilis, & standum hac in parte Juri Canonico,

## TITULUS XXXIV.

### De Voto, & Voti Redemptione.

#### SUMMARIUM.

1. 2. Quid sit votum, & redemptio voti.
3. An ex metu, vel errore editum valeat.

Pars II.

L

4. Quo

4. Quomodo dividatur votum.
5. Quando votum Castitatis & Religionis sit reservatum.
6. Quæ sit materia voti.
7. Quis effectus.
8. Quibus modis tollatur obligatio voti.

**I** Cùm ad essentiam Religionis, seu Status Religiosi, sit emissio certorum votorum, rectè hic agitur de *Voto* in genere, quæ est lex quædam privata, quam quis sponte sibi ponit se obligando ad aliquid faciendum vel omitendum, uti & de *Redemptione Voti*, quæ nihil est aliud, quàm modus se liberandi ab obligatione voti nondum exsoluti. In *tit. seq.* autem de *Votis Religiosis* in specie tractabimus.

**2** Dico I. *Votum est deliberata promissio DEO facta de meliori bono.* Adeoque differt à proposito, utut serio, quod non inducit obligationem, sicut promissio. Cùm igitur in dubio non sit afferenda obligatio, eò quòd libertas sit in possessione, in dubio, an quis votum fecerit vel propositum, standum est contra votum. Idem probabilius est, si quis dubitet, an votum fecerit cum sufficienti deliberatione, quæ debet esse perfecta (& tanta, quanta requiritur ad peccandum mortaliter, ut habet communis) quia dubitatur de aliquo essentiali constitutivo voti, consequenter de ipso voto. Palao & Tambur. contra communiorum. Illud axioma, *in dubio tutior via est tenenda*, habet rationem consilii, non præcepti, vel intelligendum est de dubio *practico*; hoc enim deponendi obligatio datur. Dixi, *DEO facta*: unde, si promissio

De Voto, & Voti Redemptione. 163

si fiat homini, non est votum, quod de se est cultus latreviticus DEI, neque si fiat alicui Sancto aut etiam Beatissimæ Virgini, si quis susteret in horum cultu, & non referret ultimatò ad DEUM colendum: verùm: quia hoc ordinariè contingit, & contingere præsumitur, si quis voveat B. Virgini &c. Rosarium vel jejunium vel donum, censetur esse verum votum, quia promissio principaliter & ultimatò ex intentione voventis fit DEO, B. Virgini autem in memoriam duntaxat, & ut suis precibus voventem juvet: quo modo etiam templa & altaria eriguntur B. Virgini & Sanctis. Addidi, *de meliori bono*, quibus verbis indicatur materia voti, quæ debet esse talis, ut DEO sit magis grata, quàm oppositum; aliàs enim DEUS, tanquam promissarius, promissionem non acceptaret.

Quæres, an metus gravis injustè incussus: item 3  
an error vel ignorantia ita obstet deliberationi, ut votum evadat irritum? R. ad 1. Etiam talis metus (à fortiori nec levis, aut gravis justè incussus, aut ab intrinseco, seu à causa non libera, puta morbo, periculo naufragii, incendii &c. proveniens) non facit votum irritum. Ita Sylv. Suar. Palao &c. contra communem apud Pirhing; quia spectato Jure Naturali non tollitur per ullum metum libertas, nec irritatur votum: de Jure autem Positivo Humano irritatio nullibi est statuta, exceptis votis Religiosæ Professionis. *c. 1. de his, qua vi.* Interim metus injustè incussus est causa, cur votum solvi & rescindi facilè possit. R. ad 2. Siquis ignoret, aut erret circa substantiam voti vel circa accidentia & circumstantias magnæ considerationis, quas si quis scivisset, non vovisset,

L 2

vel

vel circa finem, ut si quis vovisset Petro dare elemosynam, quem per errorem putabat esse pauperem, votum est utique nullum; quia, tanquam lex privata, totam suam vim habere debet à voluntate & intentione voventis, quam tollit hujusmodi ignorantia vel error. Econtra validum est, si ignorantia vel error sit solum accidentalis &c.

*Objic.* 1. DEUS non acceptat vota per injuriam extorta: ergo. 2. Si circumstantiæ magni momenti ignoratæ faciunt votum nullum, etiam vota Religiosa, & votum castitatis, si postea se prodit magna difficultas prius ignorata aut non prævisa, erunt nulla: sed hoc est contra communem sensum & praxin. *ꝛ.* ad. 1. *N. ant.* nec enim injuria voventi à tertio illata impedit acceptationem DEI, quia aliàs nec valerent vota ex metu levi injustè incusso edita: nec defectus plenæ libertatis & spontanei consensûs ob metum? quia aliàs nec valerent vota per metum gravem justè incussum, vel ab intrinseco venientem edita, quod neutrum admittunt Adversarii. Ad 2. *N. ant.* partim quia, si talia vota non valerent, sequerentur gravissima incommoda, scandala, perturbationes, & varii prætextus, cum gravi damno Reipublicæ Christianæ, ad quod cavendum strictè obligat Jus Naturale: partim quia omnes difficultates, si non fuit error vel ignorantia circa substantiam, facillè saltem in confuso potuerunt prævideri, & præsumuntur prævisæ: partim quia per remedia spiritualia non admodum difficulter superantur. Simili argumento Lutherus & Augustinæ Confessionis fabri jam olim impugnârunt vota Religiosorum, cœlibatum Sacerdotum, &c.

De Voto, & Voti Redemptione. 165

vota castitatis, dantes illis licentiam convolandi ad Matrimonium. Sed audi, quid contra illos detonet Tridentinum *sess. 24. can. 9. Siquis dixerit - - posse omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt, se Castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum: anathema sit: cum DEUS id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.* Vid. *Decisio 76. in meis Decisionibus.*

Dico 2. Votum dividitur 1. in *Solenne*, quod ab Ecclesia loco DEI specialiter acceptatur ita, ut ex dispositione Juris voventem reddat incapacem ad actus voto repugnantes, qualia duntaxat sunt vota Professionis Religiosæ, & votum Castitatis tacitum, susceptioni Ordinis Sacri annexum: sic enim voventes validum non contrahunt Matrimonium, & Religionem professi sunt incapaces domini rerum fortunæ. Et in *Simplex*, quod non ita acceptatur, & actus voto repugnantes non facit invalidos, sed tantum illicitos, qualia sunt omnia reliqua vota, exceptis tamen votis Scholasticorum Societatis JESU, quæ quidem tantum sunt simplicia, Matrimonium tamen reddunt invalidum. 2. In *Purum* seu *Absolutum*, quod sine conditione emissum statim obligat: & in *Conditionale*, quod sub certa conditione emissum non obligat, quamdiu conditio non fuerit impleta. 3. In *Reale*, quo aliqua res, v. g. pecunia, calix &c. in *Personale*, quo promittitur aliqua actio personæ, vel omissio actionis, v. g. preces, peregrinatio, jejunium, abstinentia à lusu immodico &c. & in *Mixtum*, quo simul res & actio promittitur, v. g. donarium & peregrinatio ad taurinurgam Virgini-

nem Oettinganam. Votum Reale potest, imò, si ab ipso vovente nequeat, debet impleri per alium, item transit ad hæredes (non tamen ultra vires hæreditatis, & non nisi salvâ legitimâ) atque ad successores. per *c. 6. cit. c. 6. de Testam. c. 1. 8. de censib. l. 2. §. 2. ff. de pollicit.* Econtra Votum Personale non transit ad hæredes per se (per accidens autem hæres post aditam hæreditatem obligatur ex propria voluntate, & quasi-contractu, qualis est aditio hæreditatis, ad explendas obligationes defuncti. *c. 6. h. t.*) minùs ad successores; nec debet impleri ab alio, si vovens nequeat implere & si possit, non potest impletio alteri committi. Quapropter, si aliqua communitas vovit peregrinationem, jejunium &c. indè non obligantur successores, nisi forsan ex consuetudine, vel statuto saltem tacitè approbato ab Episcopo, vel ex persuasione erronea, aut usu vel ratificatione ultro. *4. in Reservatum*, quod à nemine, nisi à Summo Pontifice dispensari vel commutari potest. qualia sunt tantùm quinque: votum castitatis integræ & perfectæ, votum Religionis ingrediendæ, vota peregrinationis Romanæ, Jerosolymitanæ, & Compostellanæ. *Extrav. 5. comm. de penit. & remiss.* Reliqua omnia sunt *non reservata*.

¶ Quares, quid requiratur, ut vota Castitatis, & Religionis ingrediendæ, quæ contra Jus antiquum reservantur Sedi Apostolicæ in *cit. Extrav.* censentur esse reservata? R. cum hæc reservatio sit restrictiva potestatis Episcoporum, & ideo odiosa, ac strictæ interpretationis, debent esse perfectè edita, h. e. *plena libertate, & absolutè*. Votum castitatis autem debet esse *perpetua & integra*.  
Com-

Communis. Unde hæc vota non sunt reservata, si fiant ex metu, etiam levi, injustè incusso: si cum advertentia aut deliberatione imperfecta; si cum intentione se obligandi solum sub peccato veniali: si dubium sit, an deliberatè satis, aut absolutè sint emissa: si sub conditione, v. g. si convaluero: si sub pœna, seu in pœnam, si v. g. te rursus inebriaveris: si alternativè, v. g. vel eleemosynam vel castitatem promittas. Vid. la Croix lib. 3. p. 1. n. 544. seqq. Rursus non est votum castitatis reservatum, si eam voveas non in perpetuum, sed ad tempus duntaxat, v. g. per annum: si voveas non nubere: non fornicari: non petere debitum conjugale: servare castitatem conjugalem: item votum *virginitatis* tantum, quo præcisè promittitur abstinentia ab illo actu Venereo, per quem violatur claustrum virginitatis, & hujus laureola amittitur; quamvis *virginitatem* voventes sæpe soleant intendere se obligare ad castitatem integram & perpetuam, cum non cognoscant differentiam inter Virginitatem & Castitatem. Imò nonnunquam apud puellas plebeias & rusticanas, quando dicunt, se virginitatem promississe, *sie haben die Jungfrauschaft verslobt*/ adverti, quòd aliud non intenderint, quàm manere in vita cœlibe, sine marito, adeoque non nubere, quod utique non est integra castitas.

Dico 3. Materia voti debet esse moraliter possibilis; quia ad impossibilia non datur obligatio. 2. Honestas; quia implicat obligatio ad faciendum inhonestum. 3. De meliori bono; quia DEUS aliàs non acceptat. Unde

L 4

de



de re indifferenti, quæ in se nec bona nec mala est, uti v. g. ambulare, non nere die Sabbathi, non ludere &c. non potest validum fieri votum; neque de re impeditiva majoris boni, uti est Matrimonium; quamvis enim hoc sit honestum, impedit tamen statum cælibem, qui est melior & perfectior, quàm status Matrimonialis: si tamen per Matrimonium posset procurari majus bonum, v. g. pax publica, vel vovens eriperetur ex manifesto periculo plurium & gravium peccatorum, per accidens fieret Matrimonium de meliori bono, & materia voti. Pariter si quis voveret rem de se quidem indifferentem, ex causa tamen & fine, ad DEI cultum serviente, redderetur Deo grata, ut si voveas te non amplius lufurum, ut te propter Deum privas delectatione, quam sentis ex lufu, vel ne perdas inutiliter tempus, aut pecunias, vel ne incidas in iram & blasphemias &c. per accidens validum evaderet tale votum. *Objic.* Si votum de re indifferenti possit per accidens fieri validum propter adjectum finem honestum & Deo magis placentem, tunc etiam votum de re meliori poterit per accidens reddi invalidum propter finem inhonestum adjectum, v. g. si voveres orare in templo expansis brachiis ad captandam vanam gloriam, & ut habearis pro homine valde pio: sed hoc est contra communem: ergo. *R. diff. ma.* poterit reddi invalidum, si finis malus adjectus vitiet ipsam rem voto promissam, vel si vovens rem promissam tanquam medium ordinem ad finem malum, ita ut finis rei promissæ sit malus, ut si fur voveat preces, ut furtum bene succedat, vel si quis voveat jejunare in Sabbatho,

tho, ut die Dominica melius & sapidius vorare possit. *C. ma.* Si finis malus solum vitiet intentionem & actum voventis, vel si finis voventis, rei promissæ extrinsecus, sit malus, ut si intendas vanam gloriam ex precibus publicè ex voto peragendis. *N. ma.* Illud prius non est contra communem: bene tamen istud posterius.

Dico 4. Votum validum parit obligationem Religionis gravem vel levem (prout res promissa fuerit gravis vel levis, aut intentio voventis: iste enim potest vovere rem de se gravem, at solum leviter se obligare intendendo) exequendi id, quod promissum est, & quidem moraliter statim, nisi justa causa dilationem excuset. Communis fundata tam in Jure Naturali, quàm Divino *Deut. 23.* ubi Deus sic præcipit: *cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo.*

Dico 5. Obligatio voti tollitur, seu votum solvitur, non solum per executionem rei promissæ, sed etiam aliis quatuor modis. I. *irritatione*, qua superior absque omni alia causa, præter beneplacitum suum, aufert obligationem voti: hoc autem non cuilibet Superiori concessum est, sed illi tantum, cui vel competit potestas dominativa in ipsam personam vel voluntatem voventis, ut competit patri in filium impuberem, tutori in pupillum, matri, si patre mortuo est tutrix, & his deficientibus avo & aviæ: nem

L 5

Su-

Superiori Religioso, & Præfectæ Monialium, quoad suos Regulares: qui omnia sibi subiectorum vota irritare pro libitu possunt; & hæc irritatio vocatur *directa*: vel cui materia voti est subiecta, & ex hac causa potestatem irritandi habet maritus respectu votorum uxoris præjudicantium usui Matrimonii, gubernationi domestica, educationi prolis: & uxor respectu votorum mariti, suo juri præjudicantium &c. & hæc irritatio dicitur *indirecta*, quia materiam voti subtrahit vel prohibet, nec omnino tollit obligationem voti, sed solum suspendit, quamdiu durat impedimentum.

2. *Dispensatione*, qua Superior, jurisdictione in voventem præditus, nomine DEI ex iusta causa remittit obligationem voti: qualis respectu omnium omnino votorum est Papa: in votis autem Papæ non reservatis Episcopus (& Capitulum Sede Vacante) ac Superiores Ordinum quoad suos Religiosos, quoad utrumque forum, externum & internum: item Religiosi Mendicantes, quibus sui Superiores hanc potestatem non restringunt, quoad omnes fideles, at solum in- & pro foro interno. De Papa colligitur ex textu *Matth. 16. Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* De Episcopo &c. ex *c. 1. c. 7. §. cum igitur. h. t. c. 11. & 14. de majorit.* De Religiosis ex eorum privilegiis ab Innoc. VIII. Engen. IV. Martino V. Paulo III. & Gregor. XIII. concessis. Iusta autem causa potest esse vel minus perfecta deliberatio voventis, vel valde magna difficultas exequendi votum, vel damnum spirituale, proveniens occasione voti, ut si voto ca-

stita-

stitatis ligatus sæpe labitur ex fragilitate in peccata carnis &c. *Objic.* In c. 6. de stat. Monach. dicitur custodia castitatis adeo esse annexa Regula Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex licentiam possit indulgere; ergo saltem vota solennia non sunt dispensabilia. R. Sensus textus est, quod nec Papa possit dispensare in castitate Religiosa ita, ut dispensatus maneat Religiosus, non verò, ut non tollatur obligatio voti solennis. Cæterum justa causa ad dispensandum in voto semper est necessaria ad valorem dispensationis; quia dispensatur nomine Dei, id concedentis; Deus autem non censetur dedisse potestatem temere dispensandi. Nec facilè deberet dari dispensatio, sed potius fieri commutatio voti, vel aliquid commutationis admisceri, ut habet etiam Praxis Curia Romanæ; quippe minor sufficit causa ad commutandum, quàm ad dispensandum, quia per commutationem aliud opus bonum substituitur.

3. *Commutatione*, qua nimirum non omnino tollitur obligatio voti, sed solùm mutatur, & pro materia votò promissa, substituitur alia, v. g. pro jejuniis elemosyna &c. Commutare votum in opus evidenter melius potest ipse vovens: in æquale autem probabiliter ex causa, etiam tenui; quia talis reddit Deo aliquid æquè gratum, & si causa aliqua subsit, non temere id facit. In opus verò minus bonum nec ex causa commutare permixtum est ipsi voventi, eò quod talis commutatio involvat aliquid dispensationis, quæ necessariò requirit jurisdictionem Ecclesiasticam in voventem. Cæterum si votum principaliter sit  
factum

factum in favorem tertii, v. g. pauperis alendi, nec dispensatione nec commutatione tolli potest absque consensu illius, in cuius favorem est factum, seclusâ causâ publici boni.

4. *Deficientiâ materiæ*, si nimirum voti materia vel ex toto vel ex parte destruat, si evadat impossibilis, vel desinat esse de meliori bono ob mutatas circumstantias.

## TITULUS XXXV.

### *De Statu Monachorum, & Canonicorum Regularium.*

#### SUMMARIUM.

1. *Quid veniat nomine Status Monachorum, & Canonicorum.*
2. *Ad quid Religiosos adstringat votum Paupertatis:*
3. *Votum Castitatis:*
4. *Et Votum Obedientia.*

**S** *Tatus* in sensu latiori dicit quamlibet vitæ conditionem, strictè autem & hoc loco conditionem vitæ *stabilem*, qua alteri tenemur adstricti: quales solummodo tres sunt in Ecclesia, nempe Clericorum, Religiosorum, & Conjugum. Per *Monachos & Canonicos Regulares*, qui inter se differunt per hoc, quòd illi Regulæ strictiori, isti autem laxiori subsint, hinc denotatur universitas omnium Religiosorum, qui per vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ sub aliquo